



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Cap. 2. Secundus Pelagianismi status Semi-Ethnicismus: gratiam naturæ
extollit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

Epist. 106.
ad Paulin.
in fine
Rom. 9.

laudamur, inquit, & de virtute recte gloriamur, quod non contingeret, si id donum à Deo non à nobis habuerimus. Ac paulo post, iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam à Deo petendam; à seipso sumendam esse sapientiam. Quam Pelagianorum cum Philosophis Ethnicis similitudinem Augustinus intuens non immerito dixit: Quibus utique, quoniam Christiani appellatur magis observandum est quam Iudæis, de quibus hac dixit Apostolus, ne offendant in lapidem offensionis velut argute defendendo naturam & liberum arbitrium; quemadmodum Philosophi huius mundi, qui vehementer egerunt ut putarentur vel putarent sibi beatam vitam virtute propria voluntatis efficere.

Tra Tul. lib.
1. oper. im-
perf.

Vnicum fundamentum huiusce status committendi & quo tota doctrina Pelagiana nititur est naturalis illa possibilitas sive libertas arbitrii ad bonum & malum. Quam quia secundum Philosophos huius mundi erectam putant, propulatricem necessitatum, indomitam, nullis vel amoribus, vel terroribus, vel erroribus superabilem, nec ullo modo capi posse, si dedit ipsa noluerit, hinc veluti inexpugnabili atque insolubili argumento persuasi nihil aliud

A ad quævis ardua vel aggredienda vel perficienda virtutum opera, superandaq; tentationes requiri arbitantur, nisi hoc unicum dumtaxat, ut arbitrium velit: juxta illam vulgatissimam eorum vocem: Si volo iustus sum, si Aug. Hom. nolo iustus non sum. In potestate habeo iusti esse & 44. c. 7. iustum non esse. Hanc machinam, quia nulla vi rationum frangi Celestius & Pelagius crediderunt, nulla arte subverti, non magis atq; hominem ex homine tolli, hinc factum est ut quascumq; tadem gratiæ nomenclaturas impietati suæ prætexerint vel vires naturæ peccandi ulu docuerint esse debilitatas, nunquam tamen penitus ab illo primo doctrinæ suæ statu tendendo corde discesserint, sed cum semper per ambages occultosq; circuitus repetiverint. Nec tamen diu in eo sine ullo impietatis velo palam nudeq; predicando perstitit: Sed statim post ipsa initia aliquam gratiæ larvam assumere Catholicorum offensione compulsi sunt, ita ut vix ullus Pelagij vel liber vel Epistola superstes sit ubi ille sine aliquo gratiæ pallio in medium prodeat.

Secundus Pelagianismi status, Semi-Ethnicismus: gratiam naturæ extollit.

CAPVT SECVNDVM

Epist. 143.
ad Iulianum

Form. II. de
verb. Apost.
c. 71

Cap. 13.

Epist. 90.
apud Aug.

S ECVNDVS itaque Pelagianismi status est, quo naturam ipsam tanquam gratiam agnoscere & prædicare ceperunt. Ut enim Augustinus notat, ad eandem naturam pertinet arbitrium voluntatis: nempe quia naturæ hominis naturaliter concretum est. Quem quidem statum, & causam unde natus est Augustinum exponentem audiamus: Disputantes ergo contra gratiam pro libero arbitrio (secundum ea quæ jam de primo statu diximus) fecerunt auribus pje & Catholicis offensionem: ceperunt horrevi, ceperunt ut certa pernicies devitari, ceperit de illis dici quod contra gratiam disputarent: & invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei disputo. Vnde probes? Eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Videte acumen, sed vitreum, quasi lucet vanitate sed frangitur veritate. Et infra commentum suum interpretantes Pelagiani dicunt: Quia hominem Deus creavit, & liberum donavit arbitrium, quidquid homo potest de libero arbitrio, cuius gratiæ debetur, nisi eius qui eum condidit cum libero arbitrio? Et in libro de gratia & libero arbitrio: Et hoc Pelagiani ausi sunt dicere gratiam esse naturam in qua sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem, qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei ut dominemur piscibus maris. Quam ideo gratiam appellabant ut exponunt Patres Concilij Carthaginensis; quia talem instituisset quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris da-

A tam, Alibi hanc gratiam non aliter ad naturam referunt nisi quia à Deo est conditus homo: Quidquid, inquit, etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum est, quia & hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset. Cum vero ut sit aliquid, atque ut homo sit, non habeat nisi à Deo, cur non tribuatur auctori Deo etiam quidquid in illo est bonæ voluntatis, quod non esset nisi esset in quo esset, hoc est, nisi est bonæ voluntatis causa atque subiectum. Eadem ergo omnino significatur gratia quam Deo acceptam ferunt, quia hominem fecit, quia naturam dedit, quia liberum donavit arbitrium, quia fecit ut habeamus mentem rationalem, quia nos in ortu nostro liberos fecit, quia natura auctor est, cui possibilitatem non peccandi dedit, quia per propriam voluntatem legem Dei posset implere, & si quo alio modo exprimatur. Nihil enim aliud volunt, nisi iustitiam nostram Dei gratiæ esse tribuendam, quia naturæ humanæ Deus liberum inseruit arbitrium, quo naturaliter potest, si tantum velit omnia Dei mandata implere: quæ propterea non peccandi possibilitas eaque naturalis dicitur.

Status iste ex professo à Pelagio defensus fuit in libro cui Augustinus suum de natura & gratia opposuit: In hoc libro ait Augustinus, ille Dei gratiam non appellat nisi naturam, qua libero arbitrio conditi sumus, quod in libro de gestis Pelagij repetit. Et initio Epistolæ ad Paulinum. Nam cum sibi ipse Pelagius illam, in qua intolerabilis videbatur cordibus Christianis, obiecit his verbis questionem: Sed hoc est quod multos movet, quod non per Dei gratiam homines

Lib. 2. de pecc. merit. & re miss. c. 18.

Lib. de grat. Christi sepe lib. c. 25. c. 33.

Epist. 152. ad Ioan.

Hieros. Epist. 95. ad Innoc. Papæ

Lib. de gestis Pelag. c. 23.

Epist. 106. apud Aug. lib. de nat. & grat. c. 44.

homines sine peccato esse posse defendis: Sic se ab illa objectione expedit: O ignorantia cecit is! O imperita mentis ignavia, quae id sine Dei gratia defendere existimat, quod Deo tantum audeat debere reputari. Nam cum dicitur, inquit, ipse non posse (hoc est illam naturalem non peccandi possibilitatem, ut infra eam nominat) arbitrii humani omnino non esse, sed auctoris natura, Dei scilicet, equi fieri potest ut absque Dei gratia intelligatur, quod ad Deum prae priore pertinet monstratur? Quod ut manifestius elucesceret, continuo cuiusque rei possibilitatem, uti loquendi, audiendi, videndi, ita & non peccandi, quam naturae propter liberum arbitrium inseparabiliter insitam esse tradit, ad naturae auctorem Deum, adeoque ut declinaret Christianorum invidiam ad Dei gratiam pertinere declarat. Vnde Augustinus quasi vulpecula extra latibulum deprehensa exclamatur: Expressa est sententia quae latebat, non est quem admodum possit abscondi, ideo Dei gratia tribuit non peccandi possibilitatem, quia eius naturae Deus auctor est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit: nempe quoniam, ut alibi exponit, condita est cum libero arbitrio quod auferri non potest.

Porro haec gratia naturae seu liberi arbitrii omnibus hominibus est communis, pijs & impijs, Gentilibus atque Christianis, ut saepe Augustinus docet & Pelagius confitetur; Quam liberi arbitrii potestatem dicimus in omnibus esse generaliter in Christianis Iudeis atque Gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium aequititer per naturam. Atque ideo omnes impios merito iudicandos damnando quae censet, quia cum habeant liberum arbitrium per quod tanquam per gratiam primam Dei ad fidem venire possent, male utuntur libertate concessa.

Secundus ille Pelagianismi status in rei veritate non nisi solo nomine distat a primo. Eadem enim omnino naturae vires praedicat, hoc tantum discrimine quod secundus causam proferat quae naturae tantas vires gratis dedit, ne gratiam omnino neglectam videretur. Quam si quis in ipso initio à Pelagio postulasset; mirum si negare vel etiam reticere potuisset. Nam talis gratia etiam à Gentilibus nonnullis Philosophis praedicata fuit etiam tum cum liberi ar-

bitrii potestate superbissime vetilabant, ut merito hic status Semi-Ethnicismus vocari posset. Quis dubitare potest, ait ille Stoicus, quoniam Deorum immortalium numus sit quod vivimus, Philosophia quod bene vivimus? Ita quae tanto plus nos debere hinc quam Dejs, quanto maius beneficium est bona vita quam amara. Audin superbiā extollemem se se adversus ac supra Deum? Ne tamen divinae gratiae omnino oblitus videretur quasi puduisset eum arrogantiae, corrigendo subiicit pro certo debetur, nisi ipsam Dei Philosophiam tribuissent. Gratularetur sapientiae ob bone Stoicem, nisi quod una manu Deo dederas, confestim quasi poenitens ad te ipsum altera revocasses. Cuius, inquit, Philosophiae scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus. Nempe Philosophiae hoc est sapientiae, bonae beatique vitae facultas à Deo omnibus data est, ipsa vero sapientia, vel ut Stoica phrasi loquar, Philosophia beataque vitae scientia quam nos virtutem dicimus, nemini. Nonne istud ipsum est quod Pelagius alijs verbis dicit; Non peccare, ubi est culmen omnis sapientiae, nostrum est, posse vero non peccare non nostrum? Et iterum: In voluntate & opere bono laus hominis est, in deo & homini & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratia sua adiuvat semper auxilio, sed hoc adiutorium postea adiectum fuit. Neque enim diu in ista sola naturali gratia profitenda perstitit, eo quod statim homines intelligerent sibi fucum fieri & & gratiae nomine eandem iterum naturam obtundi. Vnde in nullo Pelagij opere, quod vel etiam nunc superest, vel à Sancto Augustino citatum legere potui, nulla illius gratiae confessio invenitur, nisi in illo libro quem in naturae commendationem scriptum & ab Augustino refutatum diximus: quem fortassis ideo sibi vel mementatum questus est fuisse subreptum, vel omnino negavit suum. Quaequam & in illo ipso libro cum ex professio naturam tantam gratiam assereret, aliquando utque tenuiter (ita legendum puto) nec aperte ei commingere vel ad adiutorium vel remissionem etiam peccatorum. Scriptus est autem ille Pelagij liber sub ipsum initium heresis Pelagianae ut alibi declaratum est.

Tertius Pelagianismi status Iudaismus: quando inductus.

CAPVT TERTIVM.

CVm igitur illa gratiae confessio à Catholicis veluti proflua fraudulenta daretur, aliam excogitarunt, quae commuhiter gratia legis atque doctrinae dicitur. Cui quoque remissionem peccatorum adiderunt. Augustinus: Eam esse Dei gratiam (dicitur) hae res Pelagiana quia sic conditi sumus ut hoc voluntate possimus: & quod adiutorium legis, mandatorumque suorum dedit, & quod ad se conversis peccata prae terita ignoscit. In his solum esse Dei gratiam deputandam, non in adiutorio nostrorum actuum singulorum. Quod tanquam pro tempore Concilij

Palestini dictum intelligi debet. Haec vero quoque non tanquam dogmatis illius capitalis de naturali possibilitate non peccandi, mutatio, sed additio quaedam & palliatio fuisse existimanda est. Idque ex duobus capitibus, primo quod quamvis arbitrium per legem adjuvari dicant ad faciendam iustitiam, tantum tamen valere putant ut etiam per se tamen difficilius ad eandem implendam possit sufficere. Quod quaecumque, inquit Augustinus, & quantumcumque adiutorium eum, credibile est in hoc consuetudine quod nobis additur scientia, revelante spiritu

Cap. 48. 51.
Lib. de nat. & grat. 51.
Lib. de gestu Pelag.
Serm. 11. de verb. Apost. & Epist. 95 Pelag. in Epist. ad Innoc. Papa apud Aug. lib. de grat. Christi c. 31.
Ibid.
Lib. de gestu Pelag. c. 35.
Papa 106.
Aug. c. 44.

Seneca Epist. 50.
Lib. de nat. & grat. c. 48.
Lib. de grat. Christi c. 4.
Aug. lib. de grat. Christi 5. 2.
Aug. lib. de legis adiutorium vel remissionem etiam peccatorum. c. 23.
Lib. de grat. Christi c. 40.

